

*Doc. 10 (Scriptum est eidem
[iustitiario Basilicate] etc. Sciat
fidelitas tua quod lator presentium...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali

sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Doc. 10 (Scriptum est eidem
[iustitiario Basiliacate] etc. Sciat
fidelitas tua quod lator presentium...)*

1277-06-28

Scriptum est eidem (iustitiario Basilicate) etc.

Sciat fidelitas tua quod lator presentium nuncius tuus assignavit pro parte tua magistris rationalibus etc. die veneris XXV presentis mensis iunii apud Sanctum Gervasium scripta duo publica particulariter continentia, unum videlicet extimationem factam ad mandatum nostrum de hiis que in domibus marescallie equitaturarum nostrarum et illustris regine Sicilie carissime consortis nostre sitis apud Lacumpensilem tam in muris et presepiis quam in tecto necessaria reparatione reparanda erant, et pro quanta quantitate pecunie poterunt reparari et compleri, ad substationem ipsius operis ad extaleum concedendam, factam in eadem terra Lacuspensis, te presente ibidem et presentibus etiam in exstimatione ipsa una tecum magistro Stephano de Aureliano ipsius marescallie nostre vallecto, ad hoc per nos ordinato, quibusdam magistris carpenteris et fabricatoribus Melfie, Venusii et Potentie ad terram ipsam propterea evocatis, ut extimationi predicte personaliter interessent ac etiam extimationi eiusdem operis facte in Potentia per eundem magistrum Stephanum, sicut ipsius scripti series declarabat, que extimatio totius pecunie necessaria pro expensis dicti operis est in summa, secundum tenorem dicti scripti, particularibus expensis proinde necessariis in unum collectis, unciarum auri triginta septem, tarenorum quindecim et granorum decem, alterum vero scriptum continens, extimationem factam de quantitate pecunie pro qua fieri poterit furnus unus habilis ad coquendum panem pro ore nostro, et domus una habilis de faciendo pane ipso iuxta provisionem Petri et Colini de forno panectoriorum

et familiarium nostrorum vel alterius ipsorum, quos ad te propterea misimus ut in eadem extimatione ipsi ambo vel alter eorum presentialiter interessent in eadem terra lacuspensis per certos magistros muratores et carpenterios predictarum terrerum expertos in talibus ad terram ipsam propterea evocatos per iudicem Franciscum de Venusio commissarium tuum ad hoc statutum iuxta provisionem et extimationem dicti colini de furno. Iudice ipso commissario tuo propterea presenti ibidem, que quidem extimatio predicturum domus et furni ascendit ad summam unciarum auri decem et septem, sicut in scripto ipso particulariter continetur assignatura, et idem nuncius tuus litteras tuas continentes, quod cum factis predictis extimationibus nulli extallerii comparuerint qui vellent ad extaleum predictas domos marescallie reparare in hiis, que reparatione necessaria indigebant, pro predictis unciis auri triginta septem, tarenis quindecim et granis decem, nec predictam domum cum furno ad extaleum concedendo. Tu ne perfectio ipsorum operum in dapnum nostre curie retardaretur in reparandis domibus predictis marescallie tam in muris et presepiis quam in tecto et cohopenura et super reparatione et cohopenura ipsarum domorum cum expensis curie nostre procedi facias, iuxta provisionem et designationem supradicti Stephani do Aureliano, marescalle nostre vallecti, propterea destinati, et predictam domum et furnum, secundum quod predicta extimatio continet, extra predictam castrum nostrum Lacuspensis in loco quam predictus Colinus ad hoc providit ydoneum, cum expensis curie nostre faciendis de pecunia presentis generalis subventionis, terris tue iurisdictionis imposite, fieri iuxta tenorem mandatorum nostrorum tibi proinde directorum, in

defectu extalleriorum non comparentium, qui opus ipsum velleat facere ad extaleum ut est dictum, de quorum scriptorum et litterarum receptione presentes tibi mittimus nostrorum mandatorum litteras responsales. Tue fidelitati mandantes quod si predicta extimatio diligenter fideliter et provide facta est, ita quod in ea quoquo modo curia nostra lesa non sit, nec apparuerint ut supra dictum est, extallerii aliqui volentes facere ad extaleum opera supradicta. Tu in defectu extalleriorum ipsorum predicta omnia, iuxta tenorem mandatorum nostrorum tibi proinde directorum, fieri facere cum expensis curie nostre, iustis moderatis, necessariis et utilibus in ipsis operibus faciendis, de predicta pecunia vel alia qualibet, que undecumque est vel erit per manus tuas diligenter fideliter et sollicite, ut in hiis curia nostra sub aliquo involucro fraudari vel decipi non contingat, cum tibi exinde totaliter incumbamus, propter quod sic caveas et attendas quod predicta extimatio diligenter et fideliter facta sit, et expense predictae sic fideliter et diligenter fiant, ut in nullo curia nostra super hiis fraudari nec circumveniri possit, et nulla tibi redargutionis vel negligentie aut circumventionis nota exinde possit impingi.

Datum apud Sanctum Gervasium XXVIII iunii V Indictionis (1277).